

quantum distat ortus ab occidente longe facit a nobis iniquitates nostras, ut loquitur David, ne videlicet nobis amplius nocere queant. Si donas eleemosynam pauperi, intellige te magis accipere, quam dare: quoniam qui miseretur pauperi, fœneratur Domino, et ideo humiliter et reverenter dona, non tamquam eleemosynam pauperi, sed quasi munusculum principi. Si quid incommodi pateris, ut proximo egenti prosis, cogita quantum distes a Domino tuo, qui ut tibi prodesset, vitam et sanguinem dedit. Ita fiet ut sine spe mercedis terrena, et sine ullo inanis gloriæ stimulo, sed ex solo et puro amore Dei, et proximi in misericordiæ virtute proficias.

Restat profunditas consideranda misericordiæ Dei, ac quemadmodum altitudo misericordiæ in causa maxime splendet, sic profunditas ejusdem in effectis quærenda esse videtur. Illa igitur misericordia parum omnino profunda, et superficialis potius dicenda est, quæ ad sola verba descendit. Illa profundior, quæ non verbis tantum consolatoris, sed etiam beneficiis miseris sublevat et reficit. Illa profundissima, quæ non solum loquendo et donando, sed etiam patiando, et labores ac dolores subeundo miserabiles juvat. Jam Deus noster, cujus misericordiæ non est numerus, omnibus modis misertus est nobis. Ac primum litteras consolatorias ad nos misit, quæ sunt Scripturæ divinæ, de quibus dicunt Machabæi: *Habemus solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Nec solis litteris, sed etiam sermonibus prædicatorum, qui funguntur legatione pro Christo ad nostram peregrinationem, et inspirationibus internis ad nos loquitur Deus, auxiliium protectionemque promittens. *Audiam, inquit David, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem suam, et in sanctos suos, et in eos qui converguntur ad cor.* Deinde beneficia misericordiæ Dei contra multiplices miseras nostras tum spirituales, tum temporales, tam multa sunt, ut numerari non possint, ubique enim *Coronat nos in misericordia, et miserationibus, id est, undique circumdat nos beneficiis misericordiæ suæ.* Tertio descendit misericordia Dei per mysterium Incarnationis ad labores, et dolores, ad famem, et sitim, ad ignominiam, et opprobria, ad livores, et vulnera, ad crucem, et mortem, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et a sempiterna morte, quæ iniquitati debebatur. Est ne

abyssus aliqua profundior, ad quam descendere poterit misericordia Dei? Est omnino. Id enim fecit, non ex debito, sed ex gratia. *Oblatus enim est, quia ipse voluit.* Quis enim coegit Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Patri, exinanire semetipsum, formam servi accipiendi? propter nos egenum fieri, ut nos sua inopia locupletaret? humiliari usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos vivificaret, et exaltaret? certe solus amor coegit, sola misericordia impulit. Sed est adhuc aliquid profundius, nam voluit in opere nostræ salutis nobiscum communicare gloriam, et honorem. Satis apta videbatur divisio illa angelica: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, etc.,* honor Deo, utilitas hominibus, sed misericordia Dei voluit totam utilitatem esse nostram, et partem gloriæ esse suam, partem nostram; voluit enim nobis conferre gratiam, per quam ipsi coopereremur nostræ salutis, et vere mereremur vitam æternam, quam nobis Christus meruit, non quod non sufficeret meritum Christi, sed ut communicaret nobis laudem et gloriam propriæ salutis, unde dicitur in Evangelio, *Redde illis mercedem, et Apostolus gloriatur, dicens: Reposita est mihi corona justitiæ.* Denique profundissima est misericordia Dei erga homines, præsertim pios, et timentes Deum, quia superat affectum patris et matris, quo majorem nos in terris nullum novimus. Audi Prophetam Isaïam: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, et non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Audi Davidem: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ac ne dices, inveni etiam parentes, quorum amor in filios aliquando mutatur in odium, addit David de misericordia Dei in filios: *Ab æterno, et usque in æternum misericordia ejus super timentes se, cujus etiam durationis nos securos reddidit Apostolus, in posteriore ad Corinthios vocat Deum, cum Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis.* Itaque non solum Pater est Deus timentium se, sed Pater misericordissimus, et ad consolandum paratissimus, tollit enim miseras afflictionum et tribulationum a filiis suis, quas judicat ipsi expedire, ut tollantur, et in hac re Patrem misericordiarum se ostendit: et ad facile tolerandas miseras, quas judicat ipsi expedire, ut non ollantur, præbet ineffabilem consolationem,

in qua re Deum se totius consolationis esse demonstrat. Dicit autem Apostolus, *Totius consolationis, propter duas causas: primum, quoniam Deus novit suos consolari in omni genere tribulationis, quod certe mundus facere non potest, quia sæpe non intelligit causam tribulationum: quomodo amici Job erant onerosi consolatores, ut ipse dicit, quia non noverant causam morbi, et applicabant medicinam, ubi non oportebat: vel tam grandis est interdum tribulatio, ut nulla consolatio humana illam æquare possit.* Deus autem, medicus sapientissimus, et omnipotentissimus, omnem omnino morbum curare potest, et ideo dicit Apostolus, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Deinde dicitur Deus totius consolationis, quoniam tam plene et tam affluenter consolari novit, ut magis libeat pati tribulationem cum tali consolatione conjunctam, quam simul utroque carere, quod re ipsa accidit Theodoro adolescenti, et confessori in persecutione Juliani Apostatæ, qui per integras decem horas tanta crudelitate, et tot mutatis carnificibus tortus est, ut nulla ætas simile factum meminere: et ipse tamen toto illo tempore letus cecinit Psalmos David: et tunc primum moestus fieri cepit, cum deponi jussus est, ob maximam consolationem, quam dum torqueretur, ex Angeli præsentia percipiebat, ut scribit Ruffinus. Quare non mirum est, si Apostolus dicat: *Repletus sum consolatione nostra, et initio epistolæ: Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quid tibi videtur, anima mea, de ista tam ampla, tam diuturna, tam pura, et tam immensa misericordia Domini, qui honorum nostrorum non eget, et tamen ex affluentia charitatis suæ, tam est sollicitus de servulis suis, ac si ab illis penderet omne bonum suum? Quas igitur illi gratias ages? quid unquam præstare poteris, ut tantæ misericordiæ non sis ingrata? stude saltem quantum potes, ut illi placeas, et quod illi placet adimpleas. Et quoniam scriptum est: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, et Misere anime tuæ placens Deo,* incipe sollicite primum investigare miseras anime tuæ: nam corporis quidem miseriæ patent, neque opus est admonere hominem, ut corporis sui misereatur, si enim vel unum diem corpus cibo et potu careat, vel unam noctem insomnem ducat, aut ex casu, vel vulnere

doleat, continuo lamentatur et rugit, et magna sollicitudine illi succurritur. Anima vero integras hebdomadas a cibo suo jejuna, vel plagis impositis languet, aut etiam mortua jacet, et nemo illius curam gerit, nemo miseretur. Ergo sæpe ac sæpius visita animam tuam: examina singulas potentias, an recte valeant, an proficiant in cognitione et amore veri boni: an contra, laborent ignorantia, et languent cupiditatibus variis, vel etiam excæcata sit malitia mens, et corrupta voluntas inadvertentiæ, aut superbiæ volens, et si quid tale inveneris, clama ad Dominum, *Miserere mei, quoniam infirmus sum.* Quære medicos spirituales, et adhibe remedia opportuna. Deinde miserere animum cæterarum, quarum infinitus numerus perit, et pro iis tamen Christus mortuus est. O anima, si vere cognosceres pretium animum, sanguinem videlicet pretiosum Filii Dei, et simul stragem maximam, quam patiuntur a lupis infernalibus, et quasi leonibus rugientibus Dæmonibus, certe non posses, non toto animo earum misereri: et tum oratione ad Deum, tum aliis quibuscumque modis posses, pro earum liberatione laborare. Denique miserere etiam corporalibus necessitatibus proximorum, non verbo et lingua, sed opere et veritate, memor verbi Domini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.*

GRADUS DECIMUS QUINTUS.

Ex consideratione magnitudinis Justitiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

Justitia Dei in Scripturis sanctis quatuor modis accipitur. Primum pro justitia universali, quæ continet omnes virtutes, et idem est quod sanctitas, sive probitas, sic in Psalmis: *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Deinde accipitur pro veritate, sive fidelitate, sic in alio Psalmo: *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Tertio pro justitia distributiva præmiorum, sic in posteriore ad Timotheum: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus illa die justus Judex.* Denique pro justitia ulciscente peccata, sic in alio Psalmo: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum: quoniam justus Dominus, et justitiam dilexit.* Magnitudo igitur justitiæ divinæ nobis utcumque innotescet, si consi-

deremus latitudinem justitiæ, ejus universalis : longitudinem justitiæ, id est, veritatis et fidelitatis ipsius : altitudinem justitiæ ejus præmia distribuentis in cælo : et profunditatem justitiæ ejusdem, flagellantis æternis suppliciiis impios in inferno. Ac ut a latitudine incipiamus, justitiæ universalis dicitur illa in hominibus, quæ disponit hominem, ut bene se habeat in omnibus actionibus juxta omnes leges : ac per hoc omnes virtutes comprehendit, tum theologicas, tum morales, sed est quædam virtus, quæ virtutes omnes in sinu suo complectitur, et omnium virtutum actus imperat, et dirigit ad ultimum finem, quæ dicitur caritas. Quæ virtus, quamvis in se particularis, et una ex theologis sit, tamen recte etiam justitiæ universalis dici potest. Ipsa enim disponit hominem, ut bene se habeat erga Deum, et proximum, ac per hoc omnem legem adimplet. Sic loquitur Apostolus : *Dilectio malum non operatur et, qui diligit, legem implevit, et Plenitudo legis est dilectio.* Et S. Augustinus in libro de natura, et gratia, inquit : « Caritas inchoata, justitiæ inchoata ; caritas protracta, protracta justitiæ ; caritas magna, magna justitiæ ; caritas perfecta, perfecta justitiæ est. » Porro in Deo sunt omnes virtutes, quæ imperfectionem nullam præsupponunt : et loco earum, quæ præsupponunt imperfectionem, est aliquid longe melius et præstantius, ac per hoc nulla bonitas illi deest, quia potius tanta, et tam infinita est in eo bonitas, et sanctitas, ut optimo jure, solus bonus, et solus sanctus dici mereatur. Igitur non est in Deo fides, virtus theologica, quia fides est earum rerum, quæ non videntur : Deus autem omnia videt, nec est in Deo spes, quia spes est expectatio futurorum : Deus autem nihil expectat, cum omnia ab æternitate possideat ; non est in Deo penitentiam peccati, quia Deus peccare non potest, non est humilitas, quoniam humilitas refinet hominem, ne ascendat inaniter super se, sed in loco suo maneat, Deus autem nihil habet supra se, quo ascendere quærat, cum sit altissimus. Est autem in Deo Regina virtutum omnium caritas amplissima, ac plane infinita, et immensa : diligit enim se dilectione infinita, quia solus ipse perfecte novit infinitum bonum, quod essentia sua est ; diligit item res omnes quas fecit. Sic enim loquitur Sapiens : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti,* novit enim Deus per sapientiam suam

separare malum a bono, id est, defectum a natura, etiam in Dæmonibus et hominibus deterrimis : et naturam diligit, quam fecit ; defectum, quem non fecit, odio habet. Denique adeo vera est in Deo caritas, ut ipse Deus caritas dici voluerit, sicut loquitur S. Joannes, cum sit : *Deus caritas est ;* nostra autem dilectio cum divina comparata, angustissima est, plurima enim sunt, quæ non diligimus, quoniam ea non novimus, multa quoque eorum, quæ novimus, non diligimus, quia non facile discernimus in eis bonum a malo, multa quoque bona non bene diligimus, quia mali sumus, et magis cupiditati, quam caritati servimus : Deum vero imperfecta caritate diligimus, non solum quia non tantum diligimus, quantum bonitas ejus meretur, ad quam mensuram ne Angeli quidem pertingunt, sed etiam quoniam minus diligimus, quam debemus, et minus etiam quam possemus si vigilantius et diligentius orationi et meditationi operam daremus. Hanc Regnam virtutum comitantur in Domino virtutum magnificentia singularis, liberalitas effusissima, benignitas et humanitas incredibilis, patientia et longanimitas inaudita, pietas et suavitas plusquam paterna, veritas et fidelitas nunquam deficiens, misericordia cælum et terram implens, justitiæ rectissima et inflexibilis ; denique sanctitas purissima, et lucidissima, ut in conspectu ejus stellæ non sint munda, et Seraphim stupore attoniti clament : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* O si ista cogitares attente, anima mea, cum quanto timore et tremore assisteres Deo in laudibus et oratione, ac potissimum ad sanctum altare, quæ reverentia, et humilitate in conspectu Angelorum offerres æterno Patri Filium ejus unigenitum pro salute vivorum, et mortuorum ?

Sed pergamus ad reliqua. Longitudo justitiæ Dei in veritate et fidelitate se prodit. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis,* inquit Propheta, id est, promissiones Domini, etiam ante multa sæcula pronuntiate per ora Prophetarum, nunquam erunt, vel fuerunt irritæ : stabiles et firmæ sunt, magis quam cælum, et terra, sic enim ait Dominus : *Facilius est cælum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.* Intellegit autem Dominus per legem non solum mandatorum sed etiam promissorum omnium veritatem, quæ enim mandavit Dominus,

omnino implenda sunt, aut pœna subeunda ; et quæ promisit, æterna firmitate stabilia sunt, unde etiam idem Dominus dicit : *Cælum et terra transibunt ; verba autem mea non præteribunt,* et Isaias : *Verbum Domini nostri manet in æternum.* et David : *Fidelis omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, et Apostolus : Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, et : Impossibile est mentiri Deum,* cujus dicti ea ratio est, quia nec falli potest cum sit sapientia, nec fallere, cum sit bonitas, nec deficere, cum sit omnipotentia. Homines autem quamvis sapientes, quamvis boni, quamvis potentes, et falli et fallere possunt ; quia nec omnia norunt, nec omnia possunt implere quæ volunt, et possunt etiam qui boni sunt quando promittunt, paulo post fieri mali, et non velle implere promissa. Quare si sapis, anima mea, in solo Deo confides, illi soli adhærebis, et in eum solum jactabis omnem sollicitudinem tuam. Sollicite ambules tu cum Domino Deo tuo, et ille sollicitus erit tui ; cave totis viribus, ne justitiam illius offendas, et misericordia ejus prolegete semper, nec timebis quid faciat tibi homo, vel Diabolus.

Jam vero altitudo justitiæ Dei cernitur in retributione cælestis præmiæ, quod ipse Deus, ut supremus et justissimus Judex præparavit iis, qui pie justeque vixerant. Ac primum quanta sit hujus justitiæ magnitudo, cognoscemus, si conferamus Judicem Deum cum hominibus item judicibus, deinde si conferamus præmium cum præmio, id est, præmium, quod dabit Deus, cum eo, quod homines dare solent. Judices homines, sive etiam principes, aut prælati, qui subditos, vel famulos habent, multis de causis ut plurimum non reddunt justum præmium iis, quibus debent. Nam vel non possunt, cum non habeant tantam rerum copiam, ut ad remuneranda merita omnium sufficiant ; vel non cognoscunt omnia merita subditorum, aut certe non cognoscunt justum pretium meritorum, cum ab animi sinceritate et devotione dependeat vel ex improbitate sua, et avaritia, aut alia perversa affectione nolunt justis subditorum laboribus justam mercedem reddere ; vel denique, aut ipsi præveniuntur morte antequam debita præmia reddant, vel ii, quibus debentur præmia, ante de hac vita decedunt, quam laborum suorum mercedem gustare incipiunt. Deus autem omnibus justis pro bonis operibus omnibus, præmia non solum justa, sed

etiam supra meritum reddit, quod enim vilius, et obscurius meritum fingi potest, quam sitienti præbere calicem aquæ frigidæ ? et tamen pro hoc etiam opere promisit Dominus præmium, et de larga retributione a Domino promissa scribit Lucas : *Mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Neque periculum est, ut Deus desit copis rerum, quibus omnibus justis præmia reddi possint, cum sit ipse Dominus omnium rerum, et possit solo verbo omnia multiplicare, et augere in immensum. Neque timendum est, ne forte fallatur in numero, vel in pretio meritorum investigando, cum sit sapientissimus, et omnia pateant oculis ejus, et ipse scrutet, renes et corda bene operantium servorum suorum, ut intelligat, quæ mente, quæ intentione, quo fervore, quæ diligentia omnia fecerint. Neque suspicari ullus poterit, inesse Deo malam voluntatem fraudandi servulos suos, et filios suos justa mercede, cum sit ipse fidelis in omnibus verbis suis, denique, neque ipse mori potest, cum sit præ omnibus immortalis, et omnia illi vivant, ut periculum nullum sit, ne morte præveniente debita præmia ulla ratione impediatur. Maneat igitur fixum, et ratum, a Deo justo judice bona opera omnia, justorum hominum omnium digna mercede remunerari, ac per hoc tutissimum esse cum Deo negotiari in ratione laboris, et mercedis, et periculosum ac stultum esse fiduciam in hominibus ponere, atque ab eis justa præmia pro laboribus expectare, conferamus nunc præmia cum præmiis, divina cum humanis, cælestia cum terrenis, quid, quæso, reddere possunt homines iis, qui totos dies pro eis laborant, vel totas noctes insomnes ducunt, vel vitam ipsam in præliis ponunt ? O cæcitas humana, quid reddere possunt, nisi res exiguas, viles, et abjectas, et brevissimo tempore duraturas ? Deus autem reddit res magnas, sublimes, æternas : et tamen illæ queruntur, ista spernuntur. S. Joannes Chrysostomus in Mattheum, comparat palatia, urbes, et regna hujus mundi, quæ homines admirantur, cum illis luteis fabricis, quæ peruli ex creta fingunt ; quæ quidem casulæ, et ædificiæ magno labore a puerulis fiunt, sed a majoribus plane ridentur : et sæpe etiam cum pater, aut magister videt puerulos omissis litterarum studio, in nugis illis occupari, pede omnia destruit, et quæ magno studio et tempore facta erant,

multo facilius momento subvertit. Sic omnino magna palatia, turres, arces, oppida, regna mortalium, casula sunt lutea, si comparentur ad celestia et sempiterna bona, et ab ipsis beatis Angelis de cœlo spectantibus ridentur, et sæpe a Patre celesti nullo negotio subvertuntur, ut intelligamus, quam sint omnia plane inania. Quod quamvis nunc pauci advertunt, tamen omnes in die iudicii, quando intelligere parum proderit, intelligent. S. Hilarius in commentario ad cap. x. Matth. « Dies, inquit, iudicii, nulla atque inania hæc omnia fuisse revelabit. » Sed explicemus paulo accuratius qualia sint præmia celestia, quæ pro terrenis istis præmiis, nunc a plurimis continentur. Primum erunt in cœlesti regno bona plurima, vel potius omnia, quæ appeti possunt, erunt enim omnes, qui in regno degent, beati; est autem beatitudo cumulus omnium bonorum aggregatione perfectus. Itaque ibi erunt bona animi, sapientia, et virtutes; bona corporis, pulchritudo, sanitas, robur: bona externa, divitiæ, voluptas, gloria. Deinde erunt hæc omnia summa, perfecta, eminentissima. Deus enim, qui ostendit potentiam suam in creatione mundi ex nihilo; et sapientiam in gubernatione et providentia; et caritatem ac bonitatem in redemptione generis humani per mysterium Incarnationis, et Passionis Filii sui: demonstrabit tunc magnificentiam gloriæ suæ, et munificentiam liberalitatis suæ in distributione præmiorum, palmarum, et coronarum, qui de hoste Diabolo triumphabunt. Et sapientia quidem erit non speculatio divinitatis in rebus creatis, sed ipsa visio aperta essentia Dei, causæ causarum omnium, et ipsius primæ ac summæ veritatis, ex qua fulgentissima visione fulgebunt animæ sanctorum luce tam splendida, ut S. Joannes de futura illa gloria dicat: *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Ex hac summa sapientia procedet caritas regina virtutum, tam ardens, ut summo bono semper inhærens, nec velit, nec possit ab eo separari: sic tota anima, et omnes ejus potentia in optimo statu constituta permanent: corpus lucebit instar solis, ut Dominus ipse testatur, cum ait: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum,* atque hæc erit ejus pulchritudo: sanitas erit immortalitas, robur impassibilitas, denique corpus, quod nunc animale est, tunc erit spirituale, id est spiritui ad nutum obediens,

ut ventos agilitate superet, muros subtilitate penetret. Porro divitiæ erunt, tum nulla re indigere, tum cum Deo et in Deo omnia possidere: nam *Super omnia bona sua constituet eos.* De voluptate quid dicam, cum scriptum sit: *Inebriabuntur ab uberitate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos?* quæ mens cogitare poterit, qualis delectatio sit frui summo bono, videre ipsam pulchritudinem? gustare ipsam suavitatem, intrare in gaudium Domini, id est participem fieri ejus voluptatis, quæ facit beatum Deum? Honor et gloria sanctorum omnem eloquentiam superat, nam in theatro mundi totius, omnium hominum, et Angelorum, ab ipso Deo laudabuntur sancti omnes, et tamquam victores coronabuntur, et quod omnem dignitatem vincit, in ipso Christi throno, tamquam regni participes collocabuntur, sic enim legimus in Apocalypsi: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, et sedi in throno Patris mei.* Hanc sublimitatem honoris mirabatur Propheta, cum diceret: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quod si ad hanc multitudinem et excellentiam bonorum, addamus tamquam ineffabile condimentum æternitatem, quis capere poterit magnitudinem superne felicitatis? et tamen quod vix capimus cogitando, experiemur possidendo, si pie, juste, sobrièque vivendo ad beatam illam patriam aliquando veniemus, vere enim sine fine bona illa durabunt, quæ momentaneis laboribus nunc per Dei gratiam a Christi famulis acquiruntur. Quid hic dices, anima mea? placebitne tibi ludos puerorum in ædificiis ex luto construendis consecrari, et regni vere sempiterni possessione privari? placebitne, quod horret animus cogitare, voluptatibus pecorum delectari; qui ad ineffabilia gaudia cum Angelis invitaris? Avertat hoc ab anima servi tui misericordia tua, Domine, quin potius *Confige timore tuarum carnes meas,* et dulcescat semper mihi super mel et favum obedientia legis tuæ ut carnem cum vitis et concupiscentiis crucifigens aspirare audeam ad spirituales et perennes delicias paradisi tui. Da, Domine, servo tuo sequi vestigia Christi tui, qui mitis, et humilis corde, *Dum malediceretur, non maledicebat, et cum pateretur, non comminabatur;* da sobrie, juste, et pie vivere in hoc sæculo, ut cum fiducia aliqua expectem beatam spem, et adventum gloriæ

magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Reliquum est, ut justitiam consideremus: quam Deus in profundissima gehennæ abyssos in peccatoribus puniendis exercet, quod si attente et serio faciemus, intelligemus profecto verissimum esse, quod Apostolus docet in epistola ad Hæbræos: *Horrendum esse incidere in manus Dei viventis.* Nam (ut ordinem sequamur, quem in justitia remunerante sanctorum merita tenuimus) animadvertet Deus justus iudex in omnia omnino peccata, etiam levissima, quale est verbum otiosum; sic enim legimus in Evangelio: *De omni verbo otioso quod locuti fuerunt homines, reddent rationem in die iudicii.* Et homines quidem multa peccata non puniunt, vel quia non possunt, resistentibus, aut fugientibus reis: vel quia nesciunt esse commissa aut per legitimos testes probata non sunt: vel quia nolunt ea punire, aut corrupti muneribus aut oppressi favoribus, aut propria malitia depravati. Deus autem omnipotens est, ac per hoc ejus potestati nullus resistit. Idem ubique est, ideo nullus ab eo se abscondere potest. *Quo ibo,* inquit David, *a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Idem sapientissimus est, et novit omnia, etiam abscondita, et occulta in intimis latebris cordium: nec indiget testibus, ut crimina probentur, cum conscientia hominum pro mille testibus Domino sint, denique nulla munera, nulli favores justitiam Dei corrumpere poterunt, cum ipse bonorum nostrorum non egeat. Maneat igitur, nullum esse peccatum, neque maximum, neque minimum, neque gravissimum, neque levissimum, quod justitiam Dei ultricem, et vindicem peccatorum effugere possit, nisi antea per penitentiam purgatum fuerit, quanto enim nunc est misericordia copiosior in ignoscendo, tanto erit post hanc vitam justitia regidior et severior in ulciscendo. De hoc tempore dicit Isaias: *In tempore placito exaudivit, in die salutis auxiliatus sum tui.* Quod exponens Apostolus in posteriore ad Corinthios, *Ecce inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* De tempore futuro post hanc vitam, Sophonias clamat: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, et angustia, dies calamitatis, et miserie: dies tenebrarum, et caliginis, dies nebulae, et turbinis, dies, tubæ et clangoris.* Neque vero solum peccata omnia puniuntur, sed puniuntur horrendis suppliciis, quæ tam ingentia erunt, ut vix ulli

homines nunc ea suspicari valeant, quemadmodum enim oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt quæ præparavit Dominus diligentibus se, sic omnino non vidit oculus, nec audivit auris, nec ascenderunt in cor hominis quæ præparavit Dominus odio habentibus se. Erant enim ærumnæ peccatorum in gehenna plurimæ, et puræ, id est, nullis consolationibus admixtæ, et quod in infinitum auget miseriam, sempiternæ. Erunt, inquam, plurimæ, quoniam singulæ potentia animæ, et singuli sensus corporis suos habebunt tortores. Perpende verba sententiæ iudicis supremi, quæ habentur in Evangelio. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, discedite,* inquit, id est, recedite a consortio beatorum privati in æternam visione Dei, quæ summa est, et essentialis beatitudo, ac finis ultimus ad quem facti eratis. *Maledicti,* id est, nolite sperare deinceps ullum genus benedictionis: privabimini enim omni vigore gratiæ, omni spe salutis; non pluet super vos amplius aqua sapientiæ, nec ros bonæ inspirationis, nec lucebit amplius radius cœlestis luminis, non germinabit in vobis gratia penitentia, non flos caritatis, non fructus operum bonorum, non visitabit vos ex hoc usque in æternum oriens ex alto, nec solum bonis spiritualibus, sed etiam corporalibus; nec solum æternis, sed etiam temporalibus carebitis, nullæ pro vobis erunt divitiæ, nulla delicia, nulla solatia, sed eritis similes ficulneæ, quæ maledicta a me, continuo tota a radicibus aruit. *In ignem,* id est, in caminum ignis ardentis, et inextinguibilis, qui non membrum unum, sed omnia membra simul comprehendet, et acutissima pena vexabit. *Æternum,* id est, in ignem, qui non eget fomento lignorum, ut semper ardeat, sed flatu Dei omnipotentis succenditur, ut sicut culpa in vobis nunquam delebitur, sic et pena nunquam finietur. Itaque rectissime Propheta Isaias exclamat: *Quis poterit stare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ac si dicat, nemo omnino patienter ferre poterit, sed impatientes, et indignantes, et desperantes ferre cogentur, etiamsi nolint. Et addit, *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur,* quæ verba non semel repetit Dominus apud Marcum. Adjungetur enim vermis conscientia, et recordationis hujus temporis, quæ potuissent impii si voluissent, parvo negotio ponas

illas evadere, et gaudiis perfrui sempiternis. Ac ne quis existimet, posse damnatos aliquid refrigerii ex deambulatione et loci mutatione capere, audi, quid ipse Dominus dicat: *Ligatis manibus et pedibus ejus, mitte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Itaque miseri illi alligati manus, et pedes vinculis æternis in loco eodem semper jacebunt, lumine solis, et lunæ, et stellarum orbat, et ignis ardoribus æstantes, flentes, et dolentes, et dentibus præ rabie et desperatione stridentes. Nec solum dolores gravissimos patientur in gehenna, qui in eam locum horrores plenissimum detrudentur, sed præterea etiam extremam rerum omnium inopiam, et dedecus atque ignominiam summa erubescencia et confusione plenissimam, facient enim in puncto temporis jacturam paliorum, agrorum, vinearum, pecorum, jumentorum, vestium, auri denique, et argenti, et lapidum pretiosorum: atque ad eam egestatem redigentur, ut guttam aquæ frigidæ cum divite epulone desiderent, et expetant; et non audiantur. Porro superbi et gloriosi illi viri, qui in præsentem tempore injuriæ omnis impatientes, dignitatem rebus omnibus antepouunt in theatro illo totius humani generis, et omnium Angelorum, quo nullum unquam majus nec fuit, nei erit, revelari videbunt, et publice demonstrari omnia ipsorum crimina etiam in tenebris patrata, vel in cordis latebris recondita, quamvis turpissima, proditioes, latrocinia, incestus, sacrilegia; nam, ut ait Apostolus in priore ad Corinthios, quando veniet Dominus ad judicandum orbem terrarum, *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo,* et sine dubio, vituperatio quoque erit unicuique impio, et iniquo a Deo, tantum vero erit opprobrium et confusio sceleratorum hominum in theatro illo, ut S. Basilius in explicatione Psalmi trigesimi tertii non timeat dicere, hoc fore omnium suppliciorum gravissimum, præsertim hypocritis, et superbis, et omnibus gloriæ cupidis, quibus honor pro Deo, vel idolo potius, in hoc mundo fuerat, sed si hæc, quæ diximus, de actura bonorum omnium tam cœlestium, quam terrestrium, et de doloribus acerbissimis, et ignominia, atque opprobrio, finem aliquem essent habitura, vel saltem aliquod genus consolationis, aut refrigerii admixtum haberent, ut in hac vita miseriæ omnes haberent: possent aliquo modo mala tolerabilia

existimari, at cum certum omnino et extra omnem dubitationem sit, quemadmodum felicitas beatorum sine ullius admixtione miseriæ perpetuo duratura est: sic etiam infelicitatem damnatorum sine ulla admixtione solatii perpetuo, id est, in omnia sæculorum sæcula duraturam: oportet omnino ut cæci et stulti sint, qui non totis viribus laborant, per quascumque tribulationes, et pericula, et infamiam, et mortem, quæ momentanea et levia vocat Apostolus, ad regnum cœlorum, et cœlestem beatitudinem pervenire.

Ac si forte miratur aliquis, cur clementissimus Deus, tam atroces, et tam diuturnas penas peccatis hominum, quæ velocissime transeunt, et non usque adeo gravia videntur, constituerit: is audiat S. Augustinum in libro de civit. Dei. « *Quisquis, inquit, hujusmodi damnationem, vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas* »; et infra: « *Quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, et tante potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?* » Loquitur Sanctus Augustinus de peccato primi hominis, sed eadem ratio est de omnibus peccatis, nam stateras non dolosas, sed veras afferamus, inveniemus omne peccatum lethale ex triplici capite esse gravissimum: nam et horrendum est, creaturam creatori suo non obedire, cum infinito intervallo a vilitate creaturæ distet dignitas creatoris: et creatura naturaliter serva, et naturaliter dominus sit creator: et creatura quicquid est, et quicquid habet, debeat creatori, creator autem nihil debeat creaturæ. Deinde si mandata creatoris gravia essent, adhuc creatura parere deberet: sed *Mandata ejus gravia non sunt,* jugum suave, et onus leve ab ipso Salvatore dicuntur: quanta igitur, et quam inexplicabilis culpa est, vermiculos terræ creatori suo in re tam facili non obedire! Præterea si Deus supplicium mortis æternæ peccantibus comminatus non esset, potuisset homo fortasse excusationem peccato suo prætexere: sed cum tam sæpe et tam perspicue per Prophetas et Apostolos supplicium sempiternum fuerit comminatus, quis peccatorum contumaciam excusabit? Denique si culpa hominum damnatorum non esset æterna, mirari possemus, cur pœna peccati futura esset æterna. Sed cum obstinatio damnatorum sit æterna, quid miramur, si etiam sup-

plicium sit æternum? atque hæc obstinata voluntas in malo, quæ communis erit damnatis hominibus cum Dæmonibus: hæc, inquam, perversa, atque a Deo summo bono aversa voluntas, quæ semper immobilis et stabilis permanebit, facit, ut sancti homines magis horreat lethale peccatum, quam ignem gehennæ. Audi enim quid de Anselmo scribat Edinerus Anglus in secundo libro vitæ ejus. « *Conscientia, inquit, mea teste, non mentior, quia sæpe illum (Anselmum) sub veritatis testimonio profiteri audivimus, quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, et necessario uni eorum immergi deberet, prius infernum, quam peccatum appeteret.* » Aliud quoque non minus forsan aliquibus mirum, dicere solebat, videlicet malle se purum a peccato, et innocentem gehennam habere, quam peccati sorde pollutum cœlorum regna tenere. Si hæc homo ille sanctus dicebat, et sentiebat, quia illuminatus a Deo cognovit gravitatem peccati esse majorem, quam sit pœna gehennæ: quanto magis Deus qui penetrat usque ad fundum malitiam, et fœditatem, et perversitatem peccati, justissime judicabit, condignum esse pœnam peccati, quam ipse usque ab æternitate constituit. Ergo, anima mea, noli errare, noli seduci, noli

similis illorum fieri, *Qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant,* multi enim fidem habent, sed in habitu, non in actu, quasi gladium in vagina reconditum; si enim actu crederent, et credendo serio cogitarent Deum esse fidelem, et justum, et re vera penas gravissimas, et nunquam finiendas, et sine admixtione consolationis iniqui præparasse, fieri non posset, ut opera facerent, quæ faciunt; et biberent, ut dicitur in libro Job, quasi aquam iniquitatem, id est, tam facile, tam sine timore, tam læto animo peccata tam multa, et tam magna patrant, ac si premium, non pœna peccantibus deberetur? tu, inquam, crede firmissime, et credendo recogita, Deum in præsentem patrem esse misericordiarum, et paratum esse omnibus vere penitentibus misericorditer indulgere peccata: sed eundem Deum, post hanc vitam, fore omnino Deum ultionum, et eas pœnas de peccatoribus sumpturum, et credendo recogita, Deum in præsentem patrem esse misericordiarum, et paratum esse omnibus vere penitentibus misericorditer indulgere peccata: sed eundem Deum, post hanc vitam, fore omnino Deum ultionum, et eas pœnas de peccatoribus sumpturum, et credendo recogita, Deum in præsentem patrem esse misericordiarum, et paratum esse omnibus vere penitentibus misericorditer indulgere peccata: sed eundem Deum, post hanc vitam, fore omnino Deum ultionum, et eas pœnas de peccatoribus sumpturum, et credendo recogita, Deum in præsentem patrem esse misericordiarum, et ad memoriam posterorum litteris mandari præcipit. Sic enim fiet, ut timore intolerabilem penarum, et spe præmiorum maximorum, quasi duabus alis sublevata, præsentis vitæ pericula secura pertranseas, et ad vitam ac requiem pervenias sempiternam. Amen.